Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36538
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

aaron et filios eius. et ad omnem israel cuncta que sibi fuerant imperata. Hec clausula sequentis capituli commendat initium. et quodammodo eminentiorem ei locum facit. Sequitur enim.

Ut omnis homo in quo est inmunditia non accedat ad sancta.

Locutusque est dominus ad moysen dicens. Loquere ad aaron et ad filios eius. ut caveant ab his que consecrata sunt filiorum israel. et non contaminent nomen sanctificatorum mihi que ipsi offerunt. Ego dominus. Eorum que a filiis israel offerebantur domino et oblata consecrabantur. diverse species reperiuntur. Quedam namque humanis usibus negabantur. sicut adipes hostiarum qui incendebantur domino. de quibus dicitur. Omnis adeps domini erit iure perpetuo. et si quis adipem qui offerri debet in incensum domini comederit. peribit de populo suo. Sic et oleum sanctificationis cuius unctione sanctificantur omnia vasa tabernaculi et ipsi etiam sacerdotes. de quo dictum est. caro hominis non ungetur ex eo. et multa similia que soli domino consecrantur. ipsorum etiam sacerdotum usibus interdicta. De his in huius operis initiis iam supra tractavimus. Quedam vero sacerdotibus deputabantur. et nonnulla solis maribus. ut de sacrificio simule pars sacerdotum maribus solis conceditur. cum dicitur. mares tantum stirpis aaron comedent illud. Que autem de hostiis pacificis sequestrabantur sacerdoti. et filiis et filiabus illius assignantur. sicut superius scriptum est. die octava consecrationis sacerdotum. dicente moyse ad aaron. Pectusculum quod oblatum est et armum qui separatus est. edetis in loco mundissimo. tu et filii tui ac filie tue tecum. De his itaque consecratis que ad usus pertinent sacerdotum et omnibus liberis eorum. viris pariter ac mulieribus conceduntur. loqui nunc

aggreditur legislator. inmundos tantum ab eis excludens. et filiam sacerdotis que populari cuilibet nupta fuerit. quasdam vero de familia admittens. servum videlicet empticium et vernaculos. Sed quia littere sensus in promptu est. libet iam ad mysterii indagationem stilum convertere. Homo per peccatum semel contaminatus. iam a reatu suo sanctificari non potest. nisi per fidem illius qui sanctus sanctorum per prophetam nominatus est. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi. ita et per unius obeditionem iusti constituuntur multi. Neque enim aliud nomen datum est hominibus sub celo. in quo oporteat nos salvos fieri. Sanctificata vero comedere est. sanctificationem in se suscipere. Nullus igitur sanctificata comedit. preter familiam nostri aaron. summi scilicet pontificis ihesu christi. Nemo quippe sanctificatur. qui fidem non habens a corpore eius quod est ecclesia. alienus efficitur. Quod si etiam fidem habeat mortuam. que per dilectionem non operatur. nec illa sanctificare eum potest. Odibilis vero est illorum presumptio. qui cum infideles sint. sine fide iustificari se estimant. aut si etiam fideles sunt. cum infidelium mores habeant. ut sanctos se putant. ut sanctitatis laudem contra conscientiam affectant. Sapientes namque huius mundi qui de sua sapientia ac virtute salutem polliciti sunt. sub prophetico tenentur maledicto. Maledictus inquit omnis qui spem suam ponit in homine. Cum autem ipsi homines fuerint de se ipsis presumentes. et se sibi posse sufficere ad salutem existimantes. in homine spem posuerunt. ideoque ab ipso fonte salutis alienati salutem invenire minime poterunt. Qui autem inter fideles connumerantur. fidelium tamen conversationem non imitantur. si peccata